

luntariam sequestrationem, ea possit his modis perfici. Hoc autem, imprimis, quum id ipsum non in omnibus aequè procedat, quatenus aut fieri possit, aut non possit in omnibus his formis, quas recensuimus, placet breuiter definire, instituta succincta earum rerum comparatione. Primum autem adparet, sequestrationem voluntariam, vt ab hac ordiamur, fieri posse omnibus illis modis, quos supra (§. VII.) tradidimus, ideoque omnes species, quas ibi diximus, sequestrationis transferri ad hanc posse, eique quasi generi subiici et subiungi. Quare omnia, quae de hac ratione exposita supra a nobis sunt, hic repetere, otiosum putamus et inutile esse. Vnum igitur hoc sufficiet obseruasse: scilicet naturali ratione ex notione sequestrationis voluntariae confici, vt, quum ea communi vtriusque contendentis voluntate fieri debeat, vterque quoque conuentionem illam cum sequestre, si hac opus sit, coniunctim ineat, ita, vt inter sequestrem et vtrumque contendentium de hac re conueniat. Ex quo efficitur id, quod in libris nostris legimus, in sequestro voluntario plures coniunctim et in solidum deponere debere^{b)}, vltiusque id ipsum ex eo cogitur, hoc non tantum ad depositum esse restringendum, aut ad eam speciem, qua sequestratio per contractum depositi initur, sed extentendum id latius esse, et transferendum ad omnia contractuum genera, quibus supra diximus fieri posse, vt sequestratio perficiatur. Sequestratio autem necessaria, quam esse iuris naturalis, et vim priuatam continere diximus, plerumque ita fit, vt is ipse, qui vim inferat, rem sequestrandam retineat.

^{b)} Vid. c. *proprte autem* §. D. *depositi*. Nec obstat c. *si quis* 9. §. *habeo* 3. c. *licet deponere* 17. pr. D. *cod. de si* D. *de dolo malo*. Vid. COCCII *Ius Con-*
apud te 18. D. *de praescript. verb. trov. ad Tit. D. depositi, quaest. 2.*